

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Conradi Samvelis Schvrfleischii Opera historica politica

Schurzfleisch, Konrad Samuel

Berolini, 1599 [i.e. 1699]

LII. Synodim

urn:nbn:de:bsz:31-102564

tentia Athanasii discrepant, circumferuntur. Huius notae sunt *Quaestiones ad Antiochum, sermo in passionem et crucem Domini, homilia de annunciatione, oratio de Melchisedeco, disputatio contra Arium in Concilio Niceno, tractatus de definitionibus, Dialogi V. T. de Trinitate, qui recentioris sunt ecclesiastici scriptoris, dicta quoque et interpretationes parabolarum S. Evangelii, quae excerptae et compilatae sunt ex Patribus, styli ratione ab Athanasio diversis.*

LII. SYNODVM ΛΗΣΤΡΙΚΗΝ.

Infenissimus humani generis hostis et insidiator Diabolus multis quidem variisque modis Christianum orbem turbavit, sed nihil perinde voluit ac molitus est, quam ut Christum laceraret, quem salutis nostrae sponsorem et vadem esse cognorat. Quare non solum divinam eius naturam oppugnavit vehementer, excitis ad arma Carpocratianis, Arianis et Photinianis, horumque similibus, qui eam vel oppugnarunt, vel in dubium vocarunt; verum etiam omnes machinas adhibuit, ut suscitaret, qui verum Christi corpus inficiarentur. Non irritum fuit consilium, cum Valentiniani et Marcionitae essent faciles ei ad obsequium, et impietatis notam sibi inurerent, negantes humanam Christi naturam, qua nos in arctissimum consortium ascivit, sanguinisque vinculo sibi coniunxit. His etsi obtinebantur Apollinariistae, non tamen ideo Christianae pietatis formulam amplectebantur, utpote qui Christo quidem naturam divinam tribuebant, verumque corpus, sed animae humanae expers vindicabant, idque ab eo assumptum fuisse insigni pertinacia contendebant. Praeter hos Ophitae eo dementiae processerunt, ut publice profiterentur Christum fuisse serpentem istum, a quo ultimi nostri parentes ad comedendum prohibita arboris fructum persuasi fuissent. Nec dum Diaboli vires exhaustae erant, quum Nestorium quoque instigabat, ad suscitandum certamen, et oppugnandam Christi unitatem, ac divellendas adeo duas ipsius naturas, quae arctissime in eo sunt coniunctae. Contra hunc stetit pugnavitque acriter Eutyches, sed malum hunc morbum malo remedio sanavit, atque eo progressus est, ut coetus DEI novum vulnus acciperet, novumque adeo dogma produceretur.

§. II. Eratis Archimandrita Constantinopolitanus audendo promptior, quam peritior, qui una cum aliis ad confutandam Nestorii haeresin ad Concilium Ephesinum invitatus est. *V. Liberatus in Breviar. cap. XL. pag. 61.* Venit Abbas animi plenus, et certamen inire ausus contra Nestorium acerrime disputavit; mox in praecipitia lapsus, in alterum extremum incurrit, et perpetuam

ram interpretatus Cyrilli voces, in magnum errorem incidit, atque exemplo docuit, imperitos plerumque esse imprudentes atque obstinatos. Nam in quantum a separatione Nestorii recessit, in tantum ad confusionem deflexit, et unam Christi hypostasim in una natura consistere affirmavit. Ita factum est, ut prae fracte diceret, unam Christi naturam in alteram esse conversam, confuseque permixtam. Interrogatus respondebat, Christum ex duabus constare naturis: duas autem in eo esse naturas, pernegabat, ratus, facta naturarum unione, protinus factam esse permixtionem. *Vid. Severinus Binius Tom. II. Concil. Concil. Chalc. P. I. in Ep. Leonis ad Pulcher. Ep. XI. XII. pag. 13. seqq. Idem Aët. V. Conc. Chalc. Quare Eutychniani admittebant quidem τὸ ἐκ δύο φύσεων, non autem τὸ ἐν δύο φύσεσι, et certe sub formulis ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, καὶ ἀχωρίτως non admittebant, ἐν μιᾷ φύσει χριστὸν μυστολογῶντες, quibus praeibant Eutyches et Dioscorus, ea de causa Chalcedone damnati, et ecclesiae communionem privati. V. Auctor Anonymus de Synodis qui est in Bibliotheca Iuris Canonici pag. 1163.*

§. III. Haec monstra ex Manetis, Valentini et Apollinaris sordibus nata eductaque fovit Eutyches, et libro edito per monachos aliosque familiaritate sibi coniunctos, clam et callide disseminavit. Quae cum ad aures Eusebii Dorylaei in Phrygia Antistitis pervenissent, eum pro amicitia, quae utriusque cum utroque intercessit, admonendum putavit, incepto desisteret, neque Ecclesiam posthac turbaret. *V. Bin. in Not. ad Concil. Chalc. p. 411.* Quod cum minime faceret, rem ad Flavianum urbis Constantinopolitanae Episcopum deferendam esse statuebat. Hic cum eopse tempore synodum Constantinopoli cogeret, ad dirimendam Florentii Sardorum Archiepiscopi, litem, quam cum duobus dioecesis suae Episcopis Iohanne et Calinio habuit, simul Eutychnis haeresim examinare cupiebat, qui aliquoties ad Concilium vocatus, tergiversari coepit, nunc votum, nunc morbum praetextens: *Vid. Conc. Chalc. Aët. I. pag. 63.* Cum tandem se excusare amplius non posset, venit militibus stipatus, synodoque se stitit, et cognito errore, deprehensus, a communionem Ecclesiae exclusus fuit. *V. Bin. in Hist. Conc. Chalc. Tom. II. Concil. p. 1.*

§. IV. His ultro citroque gestis, Eutyches maximopere studebat, ut hanc condemnationis formulam antiqvaret. Nam non tantum sparsis hinc inde libellis iniuriam sibi a synodo factam esse publice affirmabat, verum etiam Chrysologi Ravennatis Episcopi patrocinium tutelamque implorabat. *Vid. Hist. Conc. Chalc. l. d. Natal. Alex. in H. E. Sec. V. P. 1. §. 5. 6. p. 332. seqq.* Hac spe deiectus, Leonem Pontificem Romanum vaftris suis artibus circumvenire cogitabat, qui intellecto fraudis consilio, tantum abest, ut a partibus eius steterit, ut quoque Flaviano opem ad illum plane summovendum promitteret. Igitur aliud quaerendum erat auxilium, quod a Theodosio Imperatore sibi

Bbbbb

pol-

pollicebatur, quem astu quodam sibi conciliare, atque adeo persuadere volebat, ut crederet acta Concilii Constantinopolitani esse corrupta, quippe quae in falsi suspicionem vocabat. *Gesnerus de Concil. L. II. c. 5. p. 245.* Quo pacto obtinuit, ut altera vice Concilium illud convocaret, quod tamen cum de tali vitio nihil docere posset, iterum est dissolutum.

§. V. Postquam nec hoc Eutychemi ex animi sententia successisset, Dioscorum Alexandriae Episcopum adibat, eumque rogabat, ut, quae de illo acta essent, studiose perquireret. *Baron. Annal. Eccles. T. VI. ad A. C. 449. p. 77.* Hic ut a Flaviano dissidebat, sic statim annuebat, et literis a Principe postulabat, ut generale et oecumenicum Concilium indiceretur, in quo perversa isthaec Flaviani synodus improbaretur. Quod etiam approbavit Imperator. *Cantelius in Metrop. Urb. Hist. C. et E. P. I. Diff. V. de Synod. p. 95.* Facta autem haec omnia sunt instinctu Chrysaphii. Hic enim inter cubicularios Imperatoris primarius Eutychemi addictior erat, utpote quem de sacro fonte susceperat, ideoque hoc ipso propensam suam voluntatem ipsi testatam facere volebat. *Niceph. Callist. H. E. L. XIV. cap. 47. Evagr. L. II. c. 2.* Accedebat alia odii causa, propter quam Flaviano non bene cupiebat. Donum flagitabat Chrysaphius, idque a consecrato Flaviano petebat, ut haberet, quod Imperatori electionis gratia offerret. Ille panes puros Theodosio porrigendos tradebat. Hoc non contentus Chrysaphius aureum munus mittendum dicebat. Cui Flavianus hoc responsi dabat, non esse sibi auri copiam, nisi forte ad hoc sacris templorum donariis uti vellet. Non vero ignotum esse Chrysaphio, sacra vasa DEO et pauperibus esse consecrata. Eunuchus ob repulsam invidia percitus omnem movebat lapidem, ut Flavianum de sede sua deturbaret. Commoda igitur haec ipsi occasio erat evomendi veneni, quod in pectore suo clausum conceptumque tenebat contra Flavianum. Quapropter Dioscoro Alexandrino impio illi Archimandritae indicavit, se illi in omnibus rebus, quae ipsi placerent, audientem fore, si Eutychem periclitantem defenderet, quod etiam Dioscorus in literis ad Theodosium satis gnauiter curavit.

§. VI. Nec dum vero sufficiebat Chrysaphio in partes suas traxisse Dioscorum, sed etiam Eudoxiam Augustam adversus Flavianum excitabat, quod facile ab ea impetravit, quoniam et illa Flaviano non favebat. *Niceph. l. d.* Nam paulo ante Eudoxia instinctu Chrysaphii tentaverat Imperatoris animum, ut pro auctoritate sua moveret adduceretque Flavianum, quo pulcheriam in sacrum ordinem ascisceret, atque in *Diaconissarum* numerum cooptaret, ut vel sic ab aulae fastigio abstraheretur. Quod cum saepius faceret, tandem Theodosium persuasit, ut hoc cum Flaviano communicaret, qui se id facturum Imperatori pollicebatur. Interim secretis literis Pulcheriam monebat, contineret se domi, nec ad se veniret, ne aliquid praeter volun-

luntatem suam in eam statuere cogeretur. Hoc nuntio territa, clam ad Septimum, privatam deinceps vitam actura, secessit. Quod cum animadvertent Theodosius et Eudoxia, rem a Flaviano detectam suspicati, maxime illi succensuerunt. Faciles igitur Chrysaudio aures praebuit Eudoxia, cum ab illa peteret, ut Theodosio auctor esset, novi Concilii contra Flavianum incendi. *Vid. Baron. l. d. pag. 77.*

§. VII. Quare haec Synodus convocata est ad Kalendas Sextilis, cuius moderandae arbitrium permissum est Dioscoro Alexandrino, homini pessimo, et Flaviani causae infensissimo, malisque artibus & opera Chrysaudio eam ad rem uso. *Niceph. l. c. Evagr. L. d. c. 10. Conc. Chald. l. d. in Epist. Theod. ad Dioscorum. p. 43.* Nam ut is astutus erat, facile intelligebat, si iste adversarius Concilio praesideret, iam de Flaviano actum esse. Huic peculiari Imperatoris rescripto iniungebatur, ut non tantum praestituto tempore Ephesum veniret, sed etiam secum adduceret decem dioeceseos suae Antistites Metropolitibus praefectos, eamque ad rem eligeret, quoscunque vellet, et una alios adscisceret decem Episcopos, integritate vitae et doctrinae pariter conspiciendos. Eodem rescripto petebatur Theodoretus Cyri Episcopus, et hoc praetextu amovebatur, quod in Anathematismos Cyrilli scripsisset, revera ideo, quod Eutychiano errori palam contradixisset. *Baron. l. d. p. 86.* Ibas quoque Edessae Episcopus ne Synodo huic interesset, consilio et svasu Eutychetis in longum tempus est relegatus.

§. VIII. His technis, his dolis utebatur Eutyches, nec meliores erant eius asseclae, qui omni studio hoc volebant et agebant, ne quis, ad indictum Concilium admitteretur, siquidem talis esset, qui religionis capita de duabus in Christo naturis acriter defensurus videretur: hoc praetextu, quod Nestorianae impietatis fautores applausoresque essent. Sic Theodoretus reiectus, a quo maxime sibi metuebant, Ibas iam antea proscriptus promulgata relegationis sententia abesse cogebatur. Contra vero horum adversarii gnaviter efficiebant, ut Eutychis studiosi synodo interessent & praessent, eo colore, quod essent acerrimi perfidiae Nestorianae hostes, perinde ac si non contra novam et ab inferis excitatam haeresin, sed contra Nestorianam, iam diu inveteratam, certamen susceptum esset.

§. IX. Hanc ob causam etiam Barsumas Archimandrita Syriae ab Imperatore ad concilium vocabatur, vir scelere et perfidia inquinatus, qui Theodosio de meliori nota commendatus, atque a Chrysaudio vitae et religionis interemeratae testimonio ornatus est, ut qui Episcoporum Orientalium Nestorii partes sequentium hostis esset acerrimus, veramque adeo ecclesiae sententiam tueretur. Quapropter demandatum sibi negotium suscepit interpretes idem et propugnator Monachorum Occidentis, qui Episcopos Orientales quanto

poterant conatu accusabant. Omnium una vox erat, Orientis Episcopus Nestoriana labe contaminatos esse; hos ergo laceffere et de haeresi postulare voluit debuitque. Neque vero solum ut actor et accusator, sed etiam ut cognitor et iudex a Theodosio invitabatur, quod graviter tulerunt Episcopi, et suffragandi ius ad se pertinere affirmabant. *Vid. Epist. Theod. ad Barsum. Concil. Chalced. l. d. p. 45. Nat. Alex. c. l. §. 8. p. 340. seq.*

§. X. Praeter hos Imperator Leonem quoque Pontificem, missa per Euphianum Tribunum epistola, ad Concilium vocabat. Ille temporis angustias, & imminens Romae ab Hunnis periculum causatus, ad Pulcheriam Augusti sororem scripsit, & de adventu se excusavit. Mittebat autem Pontifex tres Legatos, qui vices suas referrent; his credebatur literas ad Flavianum et Concilium perferendas, in quibus mentem animumque explicabat, ac veram de Christo sententiam tam aperte, quam sincere aperiebat. *Concil. Chalced. p. l. ep. c. XII. p. 14. et 15.* Nomina Legatorum haec erant. Julius Puteolanus, Renatus Presbyter et Hilarius Diaconus, quibus adiunxit probatae fidei scribam, quem Notarium Dulcitium vocant. Hi erant quos literis instructos Theodosio commendabat.

§. XI. Cum haec fierent, nihil pro causa sua intermittebat Eutyches et Episcopus Occidentis, eosque magni nominis viros, in partes suas trahere conabatur. *Baron. l. d. pag. 91.* Sed isti recte sentientes Eutychi suffragari volebant, quin potius errorem eius vehementer impugnabant, inter quod Chrysologus primas tenuit, et veritatem ingenue constanterque defendit.

§. XII. Inter haec appropinquabat dies cogendae synodo destinatae; proinde Imperator quosdam Magistratus eligebat, qui huic Concilio interessent, ut omnia iusto decentique ordine peragerentur. *Concil. Chalced. Ad. I. in Ep. Theod. ad Elpid. p. 46.* Erat is Elpidius S. Consistorii Comes, Eulogius Tribunus Militum, & Notarius Praetorianus. Quorum partes erant attendere, ne qua seditio tumultusque excitarentur, quod si vero quis turbas daret, statim eum apprehenderent, custodiaeque mandarent, ac deinde rem ad Theodosium deferrent. Praeterea quoque iussi sunt operam dare, ut celeri et circumspecta disceptatione negotium hoc finiretur. Quoniam vero Eutyches et cum eo Chrysaphius subtimebant, ne in hoc Concilio Flavianus & alii recte pieque sentientes, si non prorsus et omnino se convincerent, tamen certe sibi molestiam exhiberent, fortiterque resisterent, vafre effecerunt, ut Theodosius vellet iniungeretque constitutis ab se praefectis, sinerent quidem adesse Episcopus illos, qui antea in Concilio Constantinopolitano Iudices existerant, non tamen ullam iudicandi auctoritatem potestatemque habere paterentur. Simul et caverent, ne quid moveretur ex pecuniariis rationibus, priusquam ea, quae ad religionem Catholicam spectarent, peracta decisaque essent.

essent. Ut vero maius pondus maioremque auctoritatem haberent, eos cum militari auxilio misit, ut foc fulti, ad exeqvenda mandata idonei sufficientesque essent. *Evagr. l. d. Niceph. l. c. V. Epist. Theod. ad Procl. in Concil. Chal. l. d. pag. 46.*

§. XIII. Haec praeparatio, haec praeludia erant Concilii huius Ephesini II, quod discriminis causa sic dicitur, ut a priori, contra Nestorium habito, distingvatur. Nam ut per se quisque colligere potest, istud sane concilia-bulum erat malorum perditorumque religionis hostium, qui vi fraudibusque se muniebant, latrones secuti, ut latrocinanti Concilio nomen darent. Omnes enim quotquot Eutychi contradicere poterant, ac resistere volebant, Nestorianae haeresios praetextu a synodo arcebantur: e contrario tenacissimi Eutyichis sectatores, quique illi non solum studebant, sed etiam doctrinae ipsius assentiebantur, admissi sunt, et quamvis aliqui horum, et sigillatim Flavianus necessario admittendi essent, tamen mutorum instar sedentes, nihil obloqui sustinuerunt. Ex quibus omnibus certe liquet, praedonum ibi coactam fuisse manum, qui promulgatam de duabus Christi naturis veritatem, impio et imprudenti ausu oppugnarunt, et assertores religionis indigne tractarunt, quosdam manibus calcibusque pulsarunt, et exitium nihil tale merentibus accelerarunt.

§. XIV. Sed ipsa synodi huius initia paulo altius contemplemur. Coepta illa et celebrata est IV. Idum Sextilis, quae, ut superiori loco dictum est, ad Kalendas eiusdem mensis indicta erat, anno post Christum natum, CCCCXLIX. Zenone et Posthumio Consulibus, et quidem in augusto templo Sanctae Virginis, Christi genitrici consecrato. *Vid. Concil. Chal. l. d. pag. 49.* Aderant CXXX. Antistites, inter quos hi praecipui erant. Iuvenalis Hierosolymorum Episcopus cum Sacerdotibus aliis pluribus, Domnus Antiochenus, Flavianus Constantinopolitanus, Stephanus Ephesinus, Iulius Puteolanus, Legatus Pontificis R. cum Renato Presbytero, Hilario Diacono, et Dulcicio Notario, Thalassius Episcopus Caesareae in Cappadocia, Dioscorus Alexandrinus cum Eutyche conspirans, adductis aliis suae sectae Episcopis praefertim Aegyptiis, maximo numero congregatis, quorum seriem Volumen Conciliorum suppeditat nobis. *Pag. 150.* Praeter hos voluntate mandatoque Caesaris Barsumas venit, stipatus trecentis Monachis, velut ad supplementum accitis. *Pag. 54.* Neque vero alii, quam a Dioscoro conducti Scribae ad Concilium admittebantur, adeo, ut cum Notarii Stephani Ephesini Antistitis Iulianus et Crispinus scriberent, non solum tabulae illorum a Dioscori Notariis delerentur, verum etiam, cum auferre cuperent, digiti eorum laederentur ac prope frangerentur.

§. XV. Dioscorus peculiari Caesaris rescripto primum locum sibi vindicabat,

cabat, pag. 50. Flaviano vero non permittebat, ut suo in loco consideret, sed ordine quintus post Episcopum Hierosolymitanum collocaretur. Postquam deinde suas quisque sedes occuparunt, Dioscorus Imperatoris literas, ad se Alexandrinam datas, perlegi iubebat, in quibus ipsi ius potestasque moderandi & iudicandi huius Concilii prae reliquis concedebatur. pag. 51. seq. Quibus absolutis, Legati Romani Leonis literas ad synodum scriptas offerebant, et simul absentiam eius, prolatis in medium rationibus et causis, excusabant.

§. XVI. Equidem Pontificis literas Dioscorus volebat suscipi, sed eas legi verabat, et longe alias substituebat, atque has in confecti recitari iubebat, quae de recipiendo ad Concilium Barsuma, deque aliis et diversis rebus ad synodum pertinentibus, scriptae erant. pag. 53. Cum vero instarent Legati, et earundem lectionem a Dioscoro peterent, ille se id facturum iureiurando affirmabat, quod tamen omnium minime est factum. pag. 52. Ita impostor Dioscorus sibi indulgebat, totamque istam causam improbe eludebat.

§. XVII. Perlecta deinde Imperatoris epistola, multi erant, qui de religionis negotio tractandum esse admonerent: pag. 54. verum hic refragatus est Dioscorus, et peculiari Caesaris edicto fretus, dixit, controversias inter Flavianum et Eutychem exortas, in praesens esse disceptandas. Permissu igitur Elpidii Comitum et Episcoporum Eutyches est introductus. pag. 56. seq. Hic statim haeresios crimen diluere coepit, exhibito Confessionis suae libello, quo testatum facere voluit, profiteri se & approbare pietatis formulam, symbolo Niceno traditam, quam Patres Ephesini et Cyrillus confirmassent, cui vel adde-re, vel detrudere nemini licitum integrumque esset. Animadvertentem verus iste homo, nihil errori suo esse fraudi, si maxime istud admitteret, ac per omnia amplecteretur. Non ignarus, eo Symbolo nihil de hoc religionis capite sigillatim contineri, aut distincte explicari. Hac de causa sciens mittebat additiones accessionesque ad symbolum factas, cum insurgerent Apollinaris, Valentinus, Macedonius, et alii perversi impiique veritatis hostes, et summum maximumque SS. Triados mysterium virulentis lingvis scriptisque oppugnarent. Quare haec verba, *qui descendit et incarnatus est de Spiritu S. ex Maria Virgine*, dolo malo omisit, ut vel hoc modo Eutyches Apollinaristam prae se ferret.

§. XVIII. Recitato libello Flavianus petiit, ut Eusebius pag. 61. seq. Dorylaei, accusator Eutyche, admitteretur, verum repulsam tulit, cum Elpidius Imperatoris mandatum obtenderet, quo scriptum hoc sancitumque erat, Flavianum et Eusebium superiori synodo Eutyche accusatores fuisse et iudices, hic non ut iudices, sed ut reos ab Eutyche accusari, nec ferre sententiam, sed iudicium subire oportere, *Vid. Act. I. Conc. Chalced. p. 141.*

§. XIX. Cum ita Elpidius adventum Eusebii ad Concilium impediisset, Disco-

Dioscorus Acta Concilii Constantinopolitani adversus Eutychem legenda esse contendebat. Suffragantibus plerisque Iulius retinebatur, Leonis Romani Legatus, et Leonis epistolam prius legendam esse censebat. Assentiebatur ei Hilarius alter Leonis Legatus. Haec audiens Eutyches, legatos sibi suspectos esse clamabat, quia apud Flavianum mansissent, et cum eo familiariter fuissent, cibumque sumissent.

§. XX. Cognita hac re, Dioscorus recusabat audire legatos, sed acta synodi Constantinopolitanae legi mandabat. Cumque inter legendum ad scripta Cyrilli Alexandrini sermo converteretur, ea praelegi decretum est: quibus lectis Eustathius Berythi Episcopus pronuntiabat, ex mente Cyrilli dicendas esse non duas in Christo naturas, sed unam tantum post unionem doceri et credi oportere. *Pag. 72. Theodoretus L. IV. Haeret. Fabul.* Quae cum protulisset Eustathius, victam causam esse ingeminabant Eutychiani, non affectu sententiam Paris, qui certaminis securus, interdum naturam pro persona usurpavit, quod ex libris variisque eius scriptis intelligitur, in quibus duas Christo naturas tribuit, et aperte docet, constanterque defendit. Contra alii malitiosa verborum interpretatione subnixi, audacter cum Dioscoro exclamabant, non dicendas esse duas post adunationem in Christo naturas, sed unam, ut praeter eam non alia quaequam admittatur, sed altera in alteram profus conversa, & quasi absorpta esse intelligatur. His rebus elabendi viam quaerebat Eutyches, et pallio, ne nosceretur, se et improbitatem suam aliquandiu tegebat, relictus autem postea et nudus, haeresin patefaciebat, iamque apertis et conceptis verbis, quid sentiret, nulla veritatis, nullaque conscientiae religione exponebat.

§. XXI. Facto mox silentio, in lectione pergebant, donec ad extremam partem pervenirent, in qua Eusebius Eutychem allocutus est et admonuit, ut post unionem verbi cum carne, duas ab se invicem diversas atque distinctas in Christo naturas diceret ac confiteretur. Hinc Eutychiani indignati et vociferati sunt; *Tolle incende Eusebium, iste in duo scindatur, (fiat) sicut partitus est partiatur.* *Concil. Chal. l. d. p. 90.*

§. XXII. Sedato hoc tumultu, Dioscorus Synodum percontabatur: Probaturne vobis ista sermo, quo post adunationem duae in Christo naturae statuuntur? Responsum tulit: Anathema sit, qui haec dixerit. Ita autem dicere non veriti sunt, qui perperam sentiebant, et Dioscori Eutychisque socii et sectatores erant. Quod ne fieret, non impedire poterant recte statuentes. Nam duo et quadraginta tacere iussi, alieno arbitrio regebantur, tantummodo quindecim aderant meliorum partium, qui vere orthodoxi censebantur; reliqua turba erat et concio seditiosorum hominum, hinc inde conductorum. *Pag. 49.* Accedebat, quod pro Nestorianis haberentur, et sup-
cicio

cio digni iudicarentur, qui duas in Christo post unionem naturas affirmarent. Imo huc dementiae processit Barsumas, ut cum reliquis ex Aegypto Monachis, & frequenti multitudine surgeret, et exclamaret: *Eum qui duas dicit naturas, in duo incidite, qui dicit duas naturas, Nestorianus est.* pag. 59. Ex quibus patet, pios tenacesque religionis assertores non iure suo usos, sed necessitate, metuque impeditos, nec libere loqui ausos, cum hostes non rationibus et testimoniis sed vi et armis impietatem suam tuerentur. *P. I. Concil. Chalc. Epist. XIX. pag. 18. Epist. XXI. p. 20.* Equidem legati Leonis, ut ex eius ad Theodosium et Pulcheriam epistola constat, effato tam absurdo et improbo calculum suum non adiecerunt, sed dixerunt, fassique sunt, non valere decreta, et rescindi oportere, quae per vim extorquerentur. In Leonis ceteroquin epistola, quam legi cupiebant, plane & directo contrariam religionis formulam exstare, palam et ingenue enunciabant, sed isto modo nihil efficiebant contra adversarios numero et potentia superiores.

§. XXIII. Perlectis itaque capitulis, quae in Concilio Constantinopolitano continebantur, Dioscorus, haud abnuentibus Eutychem sectatoribus, absolvit Eutychem, eumque non tantum Ecclesiae communione dignatus est, verum etiam in gradum honoremque sacerdotii pristinum restituit, frustra reclamante Flaviano, & se non auditum graviter ac merito conquerente. *Niceph. l. d. Liberatus in Brev. cap. XII. p. 74.*

§. XXIV. Absoluto Eutychem, Synodus isthaec subscriptione firmata est, et Episcopi acta decretaque eius approbare necesse habuerunt. Multi et insignes viri, iique ecclesiarum praesides calamitate et metu mutati, atque in exitum praecipitati sunt, quos adducere longum foret. His peractis, Monachi Eutychem libellum offerebant, simulque petebant recipi in sinum matris Ecclesiae, unde per sententiam censuramque superioris synodi seiuncti atque separati erant. *Vid. Concil. Chalc. Act. I. pag. 130. seqq.* Quod nullo negotio impetrabant. Videbatur enim illorum causa cum Eutychem communis, ut hoc in ecclesiae gratiam recepto pari loco esse, nec minori beneficio uti vellent.

§. XXV. Simul atque autem voti compotes facti sunt, iussu Dioscori legebantur acta synodi Ephesinae prioris, & quae ibi de fide statuta stabilitaque erant, sub poena anathematis sancita agnoscebantur. *pag. 132.* Quare interrogabat Dioscorus, utrum huic decreto ad unum omnes assentirentur. Protinus cuncti annuebant, quod sciebant, non posse non affirmari ea, quae contra Nestorium a synodo promulgata essent. *pag. 140.* Solus Onesiphorus Iconii Episcopus, technae huius intelligens, aperuit Dioscori consilium, & Episcopis sibi assidentibus detexit, illud eo pertinuisse, ut Flavianus tanquam suffragator Nestorii condemnaretur. *pag. 118. Baron. l. d. p. 79.*

§. XXVI.

§. XXVI. Probatis igitur omnibus, quae in Synodo Ephesina constituta erant, Dioscorus in Flavianum atque Eusebium Dorylaei hanc sententiam promulgavit. Quoniam iampridem Nicena Synodus veram atque in-temeratam fidem nobis exposuit, eamque hic congregata synodus confirmavit, hoc addito mandato, ut nemini ius sit statuendi aliquid novi: qui secus faciant, certis teneantur poenis, ita ut si Episcopi fuerint, sedibus moveantur, sin Clerici et laici, a communione ecclesiae arceantur. Nunc vero minime obscurum est, vobisque omnibus constat, Flavianum Constantinopolitanae ecclesiae quondam Episcopum et Eusebium Dorylaei multa novasse, plurima interpolasse, et cuncta propemodum mutasse, ut his rebus non parum damni ad ecclesiam perveniat, coetusque sanctior malo exemplo laedatur, commeriti sunt, ut in eos gravissime animadvertatur; poenam enim a Synodo praescriptam evigere non possunt, quam irrogari auctoribus, oportet, ut paci ecclesiae consulatur. Quapropter statuimus, volumus et confirmamus, ut Flavianus et Eusebius dignitatum expertes sint, ac de Sacerdotiorum gradu amoveantur. In hanc sententiam quisque vestrum confiteatur, et aperte declaret, ac scripto corroboret fidem. Omnia demum, quae acta decretaque sunt, ad augustos & pietatis amantissimos Imperatores referantur.

§. XXVII. Lata in optimos viros sententia, Flavianus dicebat: Provo-
co a Te. Hilarius quoque R. Legatus exclamabat: Contradicitur. Imo One-
siphorus Iconii Episcopus cum alus surgebat, et ad genua Dioscori provolutus
haec loquebatur: Noli per vestigia Reverentiae tuae, nihil damnatione di-
gnum Flavianus egit, si autem reprehensione non vacat, omnino reprehend-
datur. *pag. 18. Baron. l. d. p. 98.* Surgens de loco Dioscorus aiebat: etiamsi lin-
gua mihi recidatur, aliam vocem non emitto. Cum vero instarent Episcopi,
et genua eius amplexi tenerent, clamabat, ubi sunt Comites? Ingredebantur
illi cum Proconsule & turba hominum Episcopos repellentium. Deinde
ut subscriberent, vi adigebantur. Mox catenae afferebantur, et milites asta-
bant, qui refractarios catenis vinctos in exilium pellerent. Multa mala im-
merentes & inviti subibant, usque dum manu militari compulsi chartam va-
cuam subscriberent. *Niceph. l. d. Concil. Chal. pag. 48. seq. p. 49. 55. 59.* Nam ad
vesperam usque in ecclesia inclusi detinebantur, nec aegrotantibus quies, et
recreandi spatium dabantur. Milites fustibus & gladiis armati eos circum-
dabant, et vim minabantur, donec subscriberent, et postulatis suis locum da-
rent. Imo cum Legati R. paulo acrius resisterent, fracta fide publica, in-
custodiam missi sunt, adeo ut solus Hilarius fuga elapsus, post varias ambages
atque occultos aditus Romam perveniret, & in tuto collocaretur. *pag. 142.* Ce-
terum primi decretum subscriperant Iuvenalis Hierosolymorum, Domnus
Antiochenus, Basilus Seleuciaepiscopi, et praeter hos XCVI. si numerum

reliquoꝝum ineamus. *Niceph. l. d.* Equidem Domnus libertati redditus, sententiam mutabat, decretumqve pro inani ac irrito habebat, Synodum impiam appellans, qvippe qva omnia adversus ecclesiasticas sanctiones acta et approbata fuissent. Quare exemplum subscriptionis suae reposcebat, nihil tamen proficiebat, qvin maiorem incurrebat offensam, ut ipsi vel hanc ob causam Sacerdotii dignitas eriperetur.

§. XXIX. Nec dum vero irae modus, aut proscriptionum finis erat. Nam et absentibus non parcebat, et Ibam Edessenum, ac Theodoretum Cyri Episcopos non praesentes, et magno locorum spatio disiunctos, damnabat, illum qvidem ob scriptam ad Marim persam epistolam, et ob sacrilegas quasdam voces, qvas evomuisse ab adversariis arguebatur: *Non invideo Christo factio DEO, quoniam si volo, et ego fio. Concil. Chalced. Aet. X. pag. 279. Liberat. in Brev. l. d. pag. 74.* Hunc nihilo mitius tractabant, qvod *Capitula Cyrilli* oppugnasset, et propter epistolam, qvam contra synodum Ephesinam ante pacem ecclesiae edidisset. *Niceph. l. d. Evagr. c. l. Baron. l. d. p. 99.* Praeter hos sacerdotiis mulctati sunt Daniel Carrhorum, et Aquilinus Bibli, nec non Sabidianus Parenfis Episcopi. In horum ergo locum alii cooptandi erant. Qvod satis audacter etiam fecit Dioscorus, et Flaviano surrogavit Anatolium, Domno Maximum, Ibae Nonnum, Sabidiano Athanasium qvendam. Pro reliqvis, Theodoro et Eusebio qvem adsciverit, non liquet.

§. XXIX. Tam infaustum sane progressum habuit haecenus ista latrocinantium hominum synodus, neqve vero ei satis fuit damnasse Antistites, veram & non inquinatam doctrinam amplexos, sed etiam longius serpsit hoc malum, et multorum animos exulceravit, Ecclesiam certe omnium maxime afflixit. Etenim cum Flavianus a iudicio huius synodi, prolato libello, provocaret, Barsumas, homo pessimus et perditus, in Flavianum irruebat, eumqve extrudebat, et calcibus petebat, adeo ut ictibus contusus postea animam efflaret, et pro honore Dei depugnans constantiae victricis gloriam ferret, martyrisqve coronam consequeretur. *Niceph. l. d. Evagr. l. II. c. 2.*

§. XXX. Hic exitus Synodi non *oecumenicae*, sed latrocinantis fuit, qvae fraude et malis artibus coaluit, nec veritate, se vi sese armavit. Vbi divinioris verbi vindices non aliter qvam rei damnati ac proscripti, perperam vero sentientes, et errorum haeresiumqve artifices dignitatibus aucti, malitiae et impietatis praemia tulerunt. Etsi vero acta Synodi huius vi metuqve expressa, nec servato ut par erat ordine, ac nulla sanctionum Ecclesiasticarum ratione habita, tandem absoluta sunt, tamen Imperator Theodosius a Chrysa-phio deceptus legem sanxit, qva Eutythis sententiam approbaret, & eo ipso impium istud conciliabulum admitteret ratumqve haberet. *Concil. Chalced. Aet. I. pag. 48.* Equidem pii manes Flaviani vindictam poscebant, et Chrysa-phii

phii nefas averfabantur, sed Theodosii fraudibus circumventi simplex et incautus animus, iratiore ecclesiae fato, omnia libidini et arbitrio Chrysalphii permittebat. Dehinc rebus istis Romam perlatis, Leo Valentinianum Placidiae Filium, Romae adhuc imperantem, simulque Eudoxiam Theodosii Filiam adibat, et ab illis lacrymabundus petebat, ut ad Theodosium literas darent et Augustum persuaderent, synodum novam cogeret, quae impia Ephesini conventus acta rescinderentur. *Niceph. l. d. pag. 49.* Quod tamen enixe faciebant, nihil tamen aliud impetrarunt, quam ut ad filiam rescriberet, Flavianum iusto Dei iudicio extinctum, ut contentiones, ad distrahendos animos excitatae, vel sic tandem finirentur. *Council Chalced. P. I. Epist. XXXI. p. 26.*

§. XXXI. Ad extremum re diligentius perpensa, astum malitiamque Chrysalphii intellexit, et Flavianum iniuste damnatum fero demum perspexit. *Niceph. l. d. p. 49.* Quapropter Chrysalphium Eunuchum primo dignitate, deinde, omnibus fortunibus multavit, et lata sententia impium fraudis molitorem in insulam relegavit, quam cum peteret mare traiecturus inter navigandum, evidenti irae coelestis indicio, e vita excessit. Eudoxiam coniugem, tot malorum auctorem foeminam, acriter obiurgabat. Pulcheriam denique, germanam pietatis et prudentiae compertam virginem, ex aula, dudum eiectam, sapienter revocavit, quae aliquanto post reversa, missis Ephesum certis hominibus, Flaviani cadaver Constantinopolim transportandum curavit, atque id per mediam urbem solenni cum pompa illatum, in templo sanctorum discipulorum Christi composuit, et suprema eius rite decoravit. Nec multo post pestilentissimi erroris Eutychniani vires deleatae sunt, exento vivis Theodosio, et Concilio Chalcedonem indicto, quod auspicio iussuque Marciani accidit, cui nupsit Pulcheria, et felix connubium, pariter atque imperium marito attulit, et praecipue curam Ecclesiae causamque religionis ei commendavit. Idcirco indigne habiti, ac praeter meritum proscripsi Antislites, quos Ephesini latrones eiecerant, multumque afflixerant, ab exilio revocati, et comiter accepti, et dignitatibus ornati, benigniori fortuna utebantur, documento futuri posteris, tutissimum esse praesidium conscientiam recti, et constantiam in adversis,

LIII. DE TEMPLORUM ANTIQVITATIBUS.

SVa quaeque gentes templa, aut pro templis, clivos montium, lucosque habuerunt, ut locus esset rei divinae circumscriptus et proprius, ubi statim tempore convenirent homines, remotique a strepitu et profanis negotiis, sacra sua obirent.

CCCC 2

Vete.